



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Romanæ sedis auctoritatem tueri tenetur Rex Christianissimus jure Protectionis, quod Francorum Regibus competit. Quid sit jus Protectionis, ordinarium, extraordinarium, & reale pactis constitutum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

tanquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit. Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti. Plura vir ille infra-cti animi in eandem sententiam congerit, ut probet titulum presulatus non esse opponendum quò minus Ecclesie filiis, qui se gravatos asserunt, equo iudicio respondeatur.

CAPVT XII.

Synopsis.

I. Romana sedis auctoritatem tueri tenetur Rex Christianissimus iure Protectionis, quod Francorum Regibus competit. Quid sit ius Protectionis, ordinarium, extraordinarium, & reale pactis constitutum.

II. Protectio Romana sedis est ius reale questum Corona Francica. A Deo designata, ex Pelagio.

III. Initium huius Protectionis à Carolo Duce Francorum, & Gregorio, ob motus Longobardorum. Novis conditionibus aucta à Pippino Rege, & Stephano. Ex archibus Ravenna donatus Ecclesia Romana à Pippino, huicque Patriatus Romanus collatus. Conventio de Protectione non personalis, sed perpetua cum Rege & Regno.

IV. Patriatus datus filii Pippini. Qui dicerentur Patricij. Primo nuda dignitas, Patriatus; dein de ei adjunctum Imperium. Tuitio Ecclesiarum & inopum Patriatus competit, ex Paulo Diacono. Patriatus collatus Regibus Francorum, Imperium & Tuitionem complectebatur.

V. Carolo Magno in Augustum electo, Patricij nomen cessavit. Sed ius Protectionis Regibus Francorum questum, exintum non est. Ius illud in solidum in filios Reges testamento suo partitus est Carolus Magnus.

VI. Et filiis suis ex equo commisit Ludovicus Pius, Carolus Calvus hanc ad se una cum regno Francorum transmissam agnovit; ita tamen ut à Romana sede honor debitus sibi reddatur. Is honor explicatus de Protectione Patriciorum.

VII. Auxilia lata Ioanni VIII, Paschali II, Gelasio II, Innocentio II, Alexandro III. docent propagatum à secunda in tertiam Regum stirpem Protectionis auxilium.

VIII. Gregorius IX. Tuitionem ecclesiastica libertatis regno Francorum assignat. Ut Paulus I. Hanc Tuitionem implorarunt Innocentius IV. & Urbanus IV.

IX. Ceteri Reges novis officiis ius Patrocinij confirmarunt. Et pre ceteris Invictissimus Ludovicus XIII. consilio & opera Eminentiss. Card. Ducis Richely.

I. **A**BUNDE fatis probatum est, apud Gallos sedis apostolicæ principatum omnibus officiis per omnes ætates ex cultum fuisse; seu in ea communionis suæ Caput iure divino constitutum, seu supremam in Ecclesiis auctoritatem venerarentur, ut merito à me dictum fuerit, Primum Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum in Primatu Romani Pontificis esse positum. Addam verò hoc capite, pluribus nominibus ad ejus Ecclesiæ dignitatem tuendam & ornandam Reges Christianissimos obstringi quàm ceteros totius Europæ

Reges & Principes, scilicet eximio illo Iure Patrocinij, seu Protectionis Regiæ, erga Romanam sedem, quod Francorum regno questum est. Illud autem non sic accipi velim, quasi rhetorum more ambrosiosius verbis à me dictum, sed ut ad normam legum & fori consultò propositum. Principes quidem Ecclesias in regnis suis constitutas ex officio tueri tenentur, quod ius Protectionis ordinarium est, & à jurisdictione pendet. Sed aliud est ius quoddam Protectionis extraordinarium, quod Ecclesiis sibi non subditis adversus potentiorum vim publicam, aut privatam, impertiri solent illi qui alias ex munere suo ad id non obligantur. Hæc Tuitio vel Protectio ex eo profecta est, quò Summi Pontifices, aut ipsi etiam Imperatores, Proceribus viris aliquando demandarint ut ab injuriis Ecclesiis sibi creditas extra ordinem defenderent; Vel etiam quò Ecclesiarum Episcopi, aut Abbates, cum assensu Capitulorum & Monasteriorum, se in defensionem Procerum certis legibus tradiderint, mercedis annuæ & pensionis perpetuæ ut plurimum stipulatione adhibita. Harum conventionum octingentis abhinc annis initarum exempla creberima apud scriptores & vetera tabularia visuntur, & in diversis mediæ ætatis canonibus; bellorum privatorum infando usu in id Episcopos & monasteriorum præfectos sæpissime compellente, ut sibi Patronos, Defensores, Protectores, & Advocatos quos vocabant, adicerent, qui Protectionem & Defensionem singularem Ecclesiis impenderent, præter eam quæ à Regibus ex ordine disciplinæ publicæ expectabatur. Iure isto Protectionis, Defensionis, vel Advocatiæ, hereditate ad se transmissio, potiuntur etiamnum quamplurimi Principes in Germania, quod etiam quatuor abhinc sæculis in Gallia confinis obtinebat, multis Nobilium familiis se Advocatorum & Vicedominorum nomine jactantibus; donec jura illa Protectionis ecclesiasticarum Rex Christianissimus ad se solum in regno revocavit. De hoc Protectionis iure reali & hereditario amplissimos commentarios viri eruditi ex professo ediderunt.

II. Quod ad meum institutum attinet, necesse est ut probem ejus generis esse Protectionem illam Ecclesiæ Romanæ; cui impertiendæ quemadmodum hereditario iure Rex Christianissimus adstringitur, ita vice versa sedes Romana, in nulla parte suæ auctoritatis dignitate imminuta, Reges Francorum ut Protectores suis officiis ornare teneret. Cum autem Protectionem istam aut mandatis Principum aut conventionibus quari monerim, non est quò aliquis

Advocatus, Vicedominus.

Commentarii de Advocatiæ iuribus.